

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

Caput XXXIX

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

rosa est radix, pugni aliquando magnitudine, palmum aliquando longa. Ad caulis exortum, radices fibrosæ plures prodeunt, quæ per terram sparguntur, his primo vere alii exurgunt caules, aliæque tuberosa adnascuntur radices. Tot vero se tuberibus propagat, ut ad unam plantam hyberno tempore erutam ultra quadraginta tubera notarit *Bauhinus ad l. c. cit. Dioscor.*

CAPUT XXXIX.

DE SINAPI, SATYRIO  
& Saxifragia majore.

**S**inapi Saccaro obductum, vel cum melle pro bellariis appositum, experimentum tutum in defectu ingenii ab humiditate statuitur. *Horst. l. 2. de sanitat. tuend. cap. 1.* Hoc condimento laxatus gurgulio cito contrahitur. Pythagoras proin in honore habuit, quod præter valetudinis conservationem, in alium quoque feratur, & in arcam illam divinæ rationis ac mentis stationem potenter conscendat. Hujus intinctum ex multo confectum, inquit *Pansa theor. spu. de pror. vit. c. 51.* Cunctis literatis præsertim hyemis tempore commendo. Cum totum corpus calefaciat, venulas Mesaraicas aperiat, & deductionem Chyli in epat promoveat. Nihil enim capiti salubrius, quam ventrem laxum sibi que propitium habere. *Satyrión* herba ad rem veneream mirifice pollet, attracta tantum. *Septuageno* compressu definivit in Indo, qui attulerat; duodecimo in aliis. *Theophrastus.* Huic similis est *Cynosorchis*, cujus radix major statuosa surgens materia, Venerem excitat, minor reprimat. *Saxifragia* major in monte Baldo nascitur, ex vivo & durissimo prodiens lapide, & antiquis urbium mœniis, *Mathiol. ad l. 4. cap. 15.* Radix in petris adeo pertinaciter concluditur, ut non nisi mucronatis ferramentis evellatur. Vim habet expellendi calculos. Certe illius potu innumeri ex uno tantum ejecti sunt, fabæ quidam magnitudine.